

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo IV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

- β. Affundendo aquam;
 γ. Suffocando;
 δ. Negligendo. Ita Spiritus
 1. Auferendo media, verbum, preces.
 2. Petulanter peccando, &c. *imbibendo in iustitiam instar aquae.*
 3. Nimiis curis huius mundi;
 4. Negligentiâ, cum dona eius non exerceantur.

Hæc igitur vitate, & è contrario bona media adhibete.

III.

III. Si fit, ut de hac Dei gratia ac favore certi simus, δ tunc utique habemus cur gaudeamus, quantumvis pauperes, abjecti, deformes, infirmi, &c. simus in hoc mundo: Siquidem illud habemus, quod nos divites, honoratos, pulcros, robustos reddit:

Gratia nobis in æternum permanet; alii thesauri sunt caduci:

SERMO
XXVIII.

Gratia nobis fert opem die iræ;	} Cætera non item.
Gratia nos certos facit adoptionis;	
Gratia nobis dat quod satis est;	
Gratia nos Deo acceptos reddit;	
Gratia nobis semper & ubique adest;	
Gratia nos perducit in cœlum;	

Omnes conferamus vires ac operam, ut indes magis ac magis in gratia crescamus ac confirmemur, quò etiam alterum in nobis sentiamus donum, nempe Pacem, de qua proximè. Vide p. 70. b 71, 72, 73, 74. a.

SERMO IV.

Textus idem, Phil. v. 3.

Exordium deductum ex Philipp. 3:1.

SERMO
XXIX.
a. Pax.

Alterum, quod optat, donum est Pax. Pax Veteribus dicebatur sinus seu gremium, quia omnia alia bona in hac congregantur, & veluti in sinu gremioque foventur. Et qui alteri optat Pacem, optat ei quidvis boni; nempe

1. Pacem internam, pacem conscientiæ, pacem cum Deo, Rom. 5:1. quæ & pax Dei & pax Christi appellatur, quia provenit ex favore ac gratia Dei per Christum, Phil. 4:3.
2. Pacem fraternam sive Charitatis, ut inter se mutuò pacem colant, Marc. 9:50.
3. Pacem amicitia cum omnibus creaturis Dei, Hof. 2:18.
4. Pacem externam, omnigenam, eamque benedictam prosperitatem, Plal. 122:6, 7.
5. Pacem æternam in cœlis, Jes. 57:2. Vide p. 74, 75.

A.

Δ. Pax est donum atque beneficium, quod alii aliis, speciatim verò Pastores cœtibus suis, apprecari seriò debent.

Sic Apostolus hoc & aliis locis. Vide p. 75. b. 76.

Urus I.

At quomodo hoc fiat, prohdolor! in propa-

rulo & in luce positum est. Utinam ne multi illorum, qui ex officio deberent essenuncii pacis, classicum canerent! utinam ne, qui deberent esse pacificatores, forent pacis turbatores! ne, cum ore pacem annunciant, re ipsa eandem fugent!

Sic quoque dantur inter populum, qui hoc unum studiosè faciunt, ut lites serant; contentiones inimicitiasque conflent inter cives, membra, vicinos, consanguineos, fratres sororesque, conjuges. Omnes tales sunt emissarii Diaboli, istius pacis osoris! Et Deus tandem aliquando ipsos inveniet ac pro merito puniet, ut turbarum satis sint habituri.

Quod autem ad vos atinet, δ filii pacis, *quarite pacem & persequimini eam*, Plal. 34. Hebr. 12. *Precamini pacem Ierosolymis*, Pl. 122.

II.

Vivere in dissidio cum creaturis, est periculofum;

Vivere in dissidio cum hominibus, est injucundum;

Vivere in dissidio cum Angelis, est solatii expers;

Vivere in dissidio cum conscientia, est lamentabile;

Vivere in dissidio cum Deo, est damnosum.

Eapropter cordi vobis Pax esto. p. 76.

Jam Pax & Gratia hic conjunguntur; & Gratia quidem præponitur, Pax subjungitur: Unde

SERMO
XXX.

Δ. Pax fluit ex Gratia.

Ubi gratia, ibi pax, id est, omnis generis benedictio atque felicitas. Ubi gratia nulla, ibi nec pacem habere locum consequitur. *Si Deus pronobis, quis contra nos?* Rom. 8:31. *Si contra nos, quis pro nobis?* Si Deus pacis nobis placatus ac pacatus est, pace non possumus destitui; sed si ipse iratus est, quis pacem creabit? p. 77. Hinc

I. Videmus, ubi impietas regnet, ibi paci nullum esse locum, cum gratiæ nullus sit. Vide Jes. 57:19. Deus impiis adversus est, adversæ omnes creaturæ, &c. At impii se mutuò conjungunt? Resp. Hæc non est pax Dei, sed diabolica: Etiam Diaboli inter se conjunguntur, sed contra Deum; Sic impii, &c. Jes. 5. sed væ illis, &c. Vide p. 78. 4. b.

Urus I.

II. Vos, si constanti frui pace desideratis, quærite pacem ex gratia Dei manantem: Alaborate atque enitimini, ut de ipsius favore ac amore certi sitis, ut ante omnia cum ipso habeatis pacem; & hæc pax vos quasi circumvallabit, &c. Vide Joh. 13:1. & 16. ult. Vide p. 79, 80.

II.
SERMO
XXXI.

III. Quod ad vos, qui pace hac fruimini, cavete ne eandem rumpatis petulanter in Deum peccando, alioquin ultima primis deteriora evadent, &c. Vide p. 80. b. 81. a.

III.

Consideravimus *Dona*, quæ Paulus Phil. 4:10. & reliquis precatur. Quis jam est *Donator* sive dator istorum beneficiorum? Resp. *Deus Pater noster*. I. Deus, II. Pater.

SERMO
XXXII.
II. Dator.

Deus; Nam

X. Deus.

A. Om-

Δ. Omnia bona dona omnesq; benedictiones veniunt à Deo, ac proinde ab ipso petenda sunt.

Sic Jacob cap. 1: 5, 17. Ipse enim est *אל שדי*, Deus omnisufficiens, Gen. 27: 1. omnipotens, sapientissimus, clementissimus, &c. Vide p. 81. b. 82. a. b. Itaque

I. Enormiter peccant, qui hanc omnis boni originem non agnoscunt; licet plurima quotidie beneficia inde accipiant, non tamen ei, sed sibimet ipsis accepta ferunt, suæ sapientiæ, suæ sedulitati, &c. atque ad eam suæ sacra faciunt sagenæ, &c. Hinc fit quoque, ut ex omnibus bonis non fiant boni; licet quotidie cumulentur beneficiis Dei, nihilo tamen meliores evadunt, sed deteriores potius ac perulantiores, instare qui bene pasti fessorem suum excipientis.

II. Papani, paganorum propago, hic quoque confutandi essent, utpote qui in necessitatibus suis non primò & rectà ad Deum confugiunt, sed ad Angelos, demortuos sanctos, &c. quibus etiam boni accepti laudem tribuunt, gratias pro eo referunt, festos instituunt dies, &c.

III. Nos, cum, quidquid boni habemus, à Deo acceperimus, eidem quoque acceptum referamus, atque ad ipsum honorem impendamus, seu animi sint bona, seu corporis, 1. Cor. 10: 31. Vide p. 82. b. 83, 84. a.

Notandum autem hic porrò, Apostolum non nudè dicere, Gratia & Pax à Deo, sed à Deo Patre nostro.

Intelligitur itaque prima Persona Deitatis, Deus Pater, & quidem quatenus nobiscum reconciliatus est per Jesum Christum; dicitur enim Pater noster.

Deus est Pater

Omnium creaturarum, Act. 17: 28.

Spirituum, Hebr. 12: 9.

Angelorum, Joh. 1: 6.

Hominum, Mal. 2: 10.

Singulari ratione Filii sui Unigeniti, Jesu Christi, Domini nostri, Rom. 15: 6. 1. Pet. 1: 3.

Per & propter Christum etiam fidelium, utpote in quo ipsos adoptavit, Joh. 1: 12. 1. Joh. 3: 1. Gal. 1: 4. Eph. 4: 6. Phil. 4: 20. Ita hic dicitur Pater noster.

Δ. Deus est Pater fidelium, Pater noster.

Idque non solum jure

Creationis, Mal. 2: 10. Jes. 64: 8.

Conservationis ac providentiæ, Ps. 89: 27.

sed præcipuè jure

Redemptionis, Rom. 9: 7, 8.

Regenerationis, Joh. 1: 13.

Adoptionis, Joh. 1: 12. Rom. 8: 15. Eph. 1:

5. Itaque

I. O quanto id nobis solatio est, quòd Deus ille, à quo omnia bona, noster est Pater! Ergo

I. In quibusvis necessitatibus cum fiducia ad ipsum accedere nobis licet, prout filio ad patrem; & petere quidquid nobis est necessa-

rium; certa spe, ipsum id nobis non denegaturum, Matth. 6: 32. coll. 7: 7, 8, 9, 10, 11.

2. Certi esse possumus, quidquid nobis obringit, bono nostro fore; imò ipsas quoque castigationes, &c. Hebr. 12: 6.

3. Si à mundo contemptui habemur, calumniis conviciisque laceramur, &c. indicio est, nos quoque ad familiam Dei pertinere, cum id nobis eveniat eò quòd filii Dei sumus, non filii mundi; & quòd mundus nos non novit, 1. Joh. 3: 1.

4. Horà mortis animas nostras cum fiducia Patri commendare possumus, sicut Christus, Luc. 23: 46.

5. Post hanc vitam parata nobis est hæreditas in cælis, &c. Matth. 25: 34. 1. Pet. 1: 4. Vide p. 84, 85, 86.

Hoc autem solatio fruituri, debemus nos quoque erga ipsum gerere ceu filii erga Patrem. Quomodo? Resp. debemus

1. Ipsum honorare, internè & externè; eum magni faciendo, supra omnia diligendo, ipsique obediendo, ac vitam nostram ad ipsius legem instituendo, &c. Mal. 1: 6.

2. Ipsum imitari, Eph. 5: 1. Matth. 5. ult. Quà in re? Resp. In S. ejus virtutibus, 1. Pet. 2: 9. Sanctitate, 1. Pet. 1: 14, 15, 16. misericordia ac beneficentia erga omnes, Luc. 6: 35, 36. propenso ad ignoscendum animo, Col. 3: 12, 13. Eph. 5: 32. amore ac studio pacis, Matth. 5: 9.

3. Ipsi considerare ex animo, quòd nobis sit prospecturus de omnibus necessariis, Matth. 6: 24-32.

4. Patienter nosmet submittere ejus correctionibus, parati ferre æquo animo quidquid nobis imponit, Psal. 39: 10. Luc. 22: 42.

5. Diligere fratres nostros ac sorores, ipsis bene velle & bene facere, ceu filiis ejusdem Patris, Joh. 8: 42. Mal. 2: 10. Vide p. 87, 88, 89. a.

6. Ipsum timere, 1. Pet. 1: 17. sed timore filiali: datur enim etiam timor servilis; sed magna inter utrumque est discrepantia:

α. Filius metuit peccare: Servus non tam peccatum metuit, quàm verbera.

β. Filius timet etiam ob amorem Dei & ex consideratione misericordiæ ejus, Psal. 130:

4. Servus non nisi ob iram ac justitiam vindictivam, Gen. 4: 14.

γ. Filius timet & diligit: Servus timet & odit.

δ. Filius semper timet, Prov. 28: 14. Servus ad tempus tantum, quamdiu scilicet virga imminet tergo, Exod. 7.

Ubi timor filialis in corde existit, ibi non oriatur, sed bonos edit fructus: facit enim ut homo

1. Voluntatem Patris sui studeat nôsse & facere;

2. In rebus dubiis sollicitus sit ne offendat;
3. Ipsum pudeat, si quid in Patrem suum admittit;
4. Lugeat ac doleat, si alii Patrem offendunt;
5. Tremat ad iudicia Dei seu denunciata solum, seu etiam immissa; & ita quidem tremat, ut bonis quibusque mediis utatur, quibus iram Patris placare queat. *Vide p. 89. b. 90, 91.*

Atque hæc de *Datore*. Pergimus ad *Mediatorem*, per quem Paulus hæc dona à Patre precatur. Estque **DOMINUS JESUS CHRISTUS**.

Hinc *in genere*

Δ. *Ut Deus Pater fons est gratia, ita Filius Dei Jesus Christus est Mediator & quasi Canalis, per quem gratia derivatur in homines.*
Eph. 1:3, 4, 5. & 4:15, 16. Act. 4:12. Joh. 1:16. Et merito quidem: nam

1. Christum eam merito obedientiæ suæ acquisivit, Eph. 5:2.
2. Eandem applicat ac confert, idque duplici ratione:

a. Pro nobis deprecando, &c. Hebr. 7:25. Rom. 5:10. 1. Joh. 2:2. Rom. 8:33, 34.

b. Efficaciter per Spiritum suum in nobis operando, eamque omnibus suis, etiam debilissimis, membris communicando, Joh. 1:16. 13:5. Phil. 4:13. *Vide p. 92, 93. a.*

Si hoc, Ergo

- I. Omiserrimam conditionem eorum, quæ hunc Mediatorem, extra quem nulla confertur gratia, nec agnoscunt nec agnoscere volunt aut amplexari; sed vel verbis vel factis vel utrisque ipsum abnegant atque rejiciunt, ut sunt
 1. Judæi, Turcæ, Pagani, qui Christum vel blasphemant, vel planè ignorant, &c.
 2. Papistæ, qui verbis quidem ipsum profitentur Mediatorem, sed re ipsa negant, substituendo ipsi alios Mediatore, per quos gratiam consequi præsumunt; speciatim beatam Virginem, quam *Matrem gratia & misericordiarum* appellitant, &c.
 3. Omnes impii, profani, Athei, qui Christum infidelitate & impoenitentiâ suâ à se repellunt, &c.

Omnes hi sunt miserrimi: nam 1. Joh. 5:12.

II. Nos igitur Mediatori huic uni adhareamus; gratiam ac pacem à Deo petitori per ipsum solumperamus, &c. Col. 3:17. Ipse est via ad Patrem, &c. Joh. 14:5.

III. Et sic nosmet consolari poterimus adversus invidiam, odium atque offensionem quorumvis hominum; furorem Diaboli ac Tyrannorum; omnes turbas, rumores, calamitates, &c. Ad Christum confugiamus, &c. Si vacui sumus gratiâ, eum adeamus, supplebit defectus nostros, &c. Joh. 1:15, 16. Si conscientia est perturbata; ipse est Princeps pacis, &c. Jes. 9. *Vide p. 93, 94.*

In Specie Mediatorem hunc Apostolus triplici ornamento in Textu, qui sunt

- I. *Dominus*, ob dignitatem ac imperium;
- II. *Jesus*, ob charitatem ac beneficium;
- III. *Christus*, ob sanctitatem ac officium.

Primo loco ipsum appellat *Dominum*. Unde *in genere*.

Δ. *Quicumque Christum volunt habere Jesum seu Servatorem, ipsum debent agnoscere suum Dominum, eidemque servire ceu Domino.*

In specie Christus est

I. Δ. *Dominus universi mundi*, Apoc. 17:14. 19:16. 1. Tim. 6:15. &c. Itaque

I. Væ illis, qui huic Domino refragantur, &c. sentient sceptrum ferreum, Ps. 2.

II. Omnes Domini in hoc mundo sciant, se Dominum habere supra se, cui sint reddituri rationem; ne ergo dominatu suo ac potestate abutantur, &c. Col. 3:1. vel 3: ult. sed Domino huic serviant, Psal. 2. pro ipso regnent, &c.

III. Contenti simus ut ipse disponat ac gubernet omnia, prospera & adversa, honorem & contemptum, divitias & paupertatem, bonam & malam valetudinem, vitam ac mortem, &c. Dicamus 1. Sam. 3:18. &c.

IV. Caveamus, ne cuiquam hominum faciamus injuriam; sunt enim omnes servi hujus Domini & Conservi nostri: Dominus non dimissurus esset impunitum, &c. Imò cavendum, ne ullâ Creaturarum abutatur ad peccatum, cum omnes sint Domini hujus, &c. Vide Hof. 2:8, 9. *Vide p. 99. b. 100. a.*

V. Ergo Christus fidos suos servos defendere potest & defensus est adversus universum mundum, atrocissimos tyrannos ac persecutores, &c. Rom. 8:31. *Vide pag. 95. 96, 97.*

II. Δ. *Christus singulari ratione est Dominus fidelium, Dominus Ecclesiæ*. Ideo hic dicitur *Dominus noster*.

Nec enim jure generali tantum illorum Dominus est, prout universi mundi, id est, jure *Creationis, Conservationis, Gubernationis*; sed jure peculiari

1. *Redemptionis*, 1. Cor. 6:20. 1. Pet. 1:8, 19.

2. *Primogenitura*, Col. 1:15.

3. *Denotationis*, Joh. 17:6. Psal. 2:8. Confer Hebr. 1:2.

4. *Unctionis*, Psal. 45. Act. 2:36. *Vide p. 97. b. 98. a. b.*

Hæc cum ita se habeant, Ergo

I. Nos, qui membra Ecclesiæ sumus, & pro fidelibus duci volumus, singulari ratione pluribusque vinculis obstricti sumus, ad Domino isti serviendum atque obsecundandum; & peccatum nostrum eò est gravius, si ipsi obedire recusamus, &c. Si igitur volumus vera ac viva esse Ecclesiæ membra, & verè fideles, præstemus nosmet huic Domino fidos servos,

Opus ejus fideliter ac sedulo faciendo;

Tempus ac talenta ejus bene impendendo;

Honorem ac regnum ejus pro viribus promovendo;

SERMO
XXXVII.

Δ. Domi-
nus.

Δ.

Usus I.

II.

III.

IV.

V.

Δ.
SERMO
XXXVIII.

Tò dicit.

Usus I.

Ini-

SERMO
XXXVI.
III. Me-
diator con-
sideratus
Genera-
tim.
Δ.

Tò dicit.

Usus I.

II.

III.

3. Specia-
tim.

Inimicorum ejus familiaritatem fugiendo;
Conservos nostros sincerè diligendo ac juvando, &c.

ii.

II. Hæc si fecerimus, felices erimus, &c. Matth. 24: 46. Luc. 12: 37, 38. Vide p. 98. b. 99. 100. Uno verbo, si nosmet erga ipsum geremus tanquam *Dominum*; ipse se erga nos præstabit *Jesum*. Sic enim subjungitur in Textu, *A Domino nostro Jesu*.

p. Jesus. SERMO XXXIX.

JESUS est secundus ille titulus, *Charitatis*. Jucundiorē dulcioremque non licet invenire in universo mundo. Denotat (ut nōstis) *Servatorem*, explicante Angelo, Matth. 1: 21. Doctrina igitur, ut ipsi videtis, hæc est:

Δ. *Christus, Filius Dei, est Servator Ecclesie sue, Servator fidelium*. Prout appellatur *Dominus noster*, ita & *Jesus noster*, in Textu.

Et jure ipsi hic titulus tribuitur: Nam Matth. 1: 21. & 18: 11. 1. Tim. 1: 14, 15. Joh. 4: 14. Redemit eam proprio sanguine, Act. 20: 28. 1. Per. 1: 19. Liberavit ab omni malo

tum culpa,

tum pœna. Vide p. 101. 102. b. 103. a.

SERMO XL.

Nec *Jesus* tantum est, seu *Servator*; sed *solus* est *Jesus*, *Servator unicus*: nam Act. 4: 12. 1. Tim. 2: 5. &c. Alii quidem etiam appellati fuerunt hoc nomine *Jesus* & *Josua*; sed illi non nisi *typici* ac *temporales* fuere *Servatores*, & qui ipsi per *hunc Jesum* servari necesse habebant, Hebr. 7. 9. 10. Vide p. 103. b. Ergo

Usus I.

I. Virandi ac rejiciendi sunt illi, qui hunc *Jesum* debito honore privant, redemptionem ab eo peractam elevantes, lytrum ab ipso solum insufficientiæ arguentes, dum alias satisfationes, merita alia, supponunt, &c. quales sunt *Papicolæ*; & inter eos præcipui *Jesuitæ*, qui quidem soli à *Jesu* denominationem habere volunt, sed interim pessimi sunt hostium *Jesu* & redemptorum à *Jesu*, &c. Hos velut pestem fugiamus, &c. Vide p. 104. us. 1.

ii.

II. Discamus agnoscere

1. Miseriam nostram naturalem, utpote qui non potuissimus non perire, nisi *Filius Dei* nobis *Jesus* factus esset, &c. Act. 4: 12. In hac miseria adhucdum hærent, quotquot *Jesum* hunc non recipiunt vera fide, non amplectuntur sincero amore, non honorant sanctâ obedientiâ, prout, prohdolor! ubique terrarum plurimi tales existunt, &c. Vide p. 101. b. 102. a.

2. Detestabilem naturam peccati. O quantum malum esse oportet, quod non nisi sanguine *Dei* expiari potuit! Ex necessitate talis ac tanti *Medici* licet colligere magnitudinem morbi, &c. Vide p. 104. us. II. O quam sollicitè debemus evitare tantum, tam turpe, tam periculosum, tam noxium malum, &c! ib. b. us. III.

iii.

III. Apprehendamus hunc *Jesum* vera fide, confugiamus ad ipsum tanquam unicam rupem salutis nostræ, consolemur animas nostras sub onere peccatorum gementes, perfectis-

simâ ejus satisfatione, &c. Matth. 11: 28. Vide p. 104. b. us. IV. Et fundamentum fiduciae atque consolationis nostræ eò est firmius solidiusque, quòd *Jesus* hic ad opus salutis ab ipso *Deo Patre Unctus* est:

Dicitur enim in Textu *CHRISTUS*, id est, *Unctus*. *A Domino nostro Jesu Christo*. Hic tertius est titulus, titulus *sanctitatis*.

γ. Christi. SERMO XLI.

Doctrina hic iterum suâ luce claret, nempe: Δ. *Ille, qui est Jesus seu Servator noster, est quoque Christus, id est, Unctus*, Joh. 1: 41.

Δ.

Hanc doctrinam aliquot quæstionibus enucleabimus.

Quæst. I.

I. Quo sensu Dominus *Jesus* dicitur *Unctus*?

Resp. Sensus est, ipsum ab æterno ad hoc opus deitinarum, & in tempore idoneum factum esse ad illud perficiendum, &c. Vide Joh. 7: 28. Joh. 3: 34. Luc. 4: 22. &c. p. 105. b.

II. *Quis* ipsum unxit? Resp. *Deus Pater*, Psal. 45: 8. Act. 2: 36. Jes. 61: 1. Joh. 6: 69.

II. SERMO XLII. III.

III. *Quo oleo* fuit inunctus? Resp. *Oleo spirituali*, id est, *Spiritu sancto*, &c. Jes. 61: 1. & 42: 1. Psalm. 45: 6. Act. 10: 38. Nec immeritò *Spiritus sanctus* & dona ejus comparantur cum oleo, utpote cum habeant vim emollienti, agilem reddendi, sanandi, exhilarandi, &c. Vide p. 106. b.

IV. *Ad quid* unctus est? Resp. *Ad triplex illud officium Mediatorium, Propheticum, Sacerdotale & Regium*; quæ omnia erant necessaria ad salutem nostram plenè perficiendam.

IV. SERMO XLIII. XLIV. XLV.

1. *Propheticum*: eramus enim cæci ac ignari; non noveramus *Deum*, aut quæ ad æternam nostram facerent pacem, &c.

2. *Sacerdotale*: eramus enim peccatores, ac in offensa apud *Deum*; cujus justitiæ debebat satisfieri, &c.

3. *Regium*: eramus enim mancipia *Diaboli*, neque poteramus nosmet ipsos ex ejus potestate eripere, &c.

V. Quomodo *Unctionis Christi* finis participes?

v.

Resp. α. Participando de ejus donis, Joh. 1: 15, 16.

β. Participando de ejus dignitate, &c. Apoc. 1: 6. Joh. 6: 45.

Sed paucis quæ dicta sunt applicemus.

I. Si *Christus Unctus*, id est, ordinatus ac idoneus factus est ad opus redemptionis perficiendum: Ergo ipsum tanquam perfectum *Redemptorem*, & unicum quidem, ex animo & cum gaudio ac amore recipiamus, Joh. 1: 12. Psal. 2: 12. &c. persuasi, ipsum satis potentem ac idoneum esse ad nos ex omnibus hostium insidiis, &c. eripiendum, &c. Vide p. 105. b. 106. a.

Usus I.

II. Si *Deus* ipse eum inunxit, ergo cavete ipsum offendatis aut respuatis, Psal. 105: 15. Ne afficite ipsum injuriâ; sive in ipsiusmet persona, infidelitate & inobedienciâ; sive in mem-

II.

bris ipsius, crudelitate, calumniis, oppressione, &c. Act. 9:4. Sed è contrario, &c. Vide p. 107. a, b.

III.

III. Si oleo Spiritus sancti, id ergo si Spiritu sancto adhucdum destituti estis, si donis ejus caretis; aut saltem si exigua tantum mensura vobis suppetunt, &c. confugite ad Christum, haurite ex ejus plenitudine, &c. Vide & p. 106. b. 107. a.

IV.

IV. Si unctione hac factus est noster *Propheta, Sacerdos & Rex*, ergo ipsum triplici hoc officio vestitum amplectamur; ne separemus, quæ Dens conjunxit, &c. Recipiamus ipsum tanquam

Prophetam, ipsum audiendo, Matth. 17: 5. Act. 3:23.

Sacerdotem, ipsi fidendo, &c. Hebr. 4:14, 15, 16, &c.

Regem, ipsi obediendo, Pl. 2. Heb. 5:9. &c. Hæc si fecerimus, solatium quoque habebimus ex singulis hisce officiis, &c. Vide 108. b. 109. b. 110. 111, 112. a.

V.

V. Si *Unctionis ejus participes* sumus, id est, *Christiani*, vivamus ut Christianos decet; ostendamus, nos revera oleo Christi inunctos esse; dona ejus bene impendamus, &c. Præstemus nos

Prophetas, nos mutuo exhortando, &c.

Sacerdotes, victimas spirituales offerendo, &c.

Reges, cupiditates carnis subigendo, & contra tentationes omnes fortiter pugnando, &c.

SERMO V.

Textus Philem. v. 4, 5, 6, 7.

Exordium deductum ex Deut. 32:2.

II. Pars
Epistolæ.
SERMO
XLVI.

SEquitur jam altera pars *Epistolæ*, id est, *Substantia* ejus: Et in hac primo loco sapiens Pauli *insinuat*io contenta in prælectis. Vide p. 112. b. 113. a, b. In quibus quidem tria considerare licet:

1. *Congratulationem*, sive gratiarum actionem, quæ Apostolus testatum facit suum gaudium ex benedicto Philemonis statu conceptum: *Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ µου.*

2. *Supplicationem*, dum indicat, se assidue pro Philemone apud Deum orare: *Μνηστειν σὺ ποιεῖµενος, &c.*

3. *Causas utriusque, & congratulationis & supplicationis*, tum generatim vers. 5. tum speciatim vers. 6, 7. Sed verba κατὰ πόδα sequemur.

In genere hinc discimus,

Δ. *Veros Christianos communiter, & Ministros Evangelii singulariter, ex animo gaudere debere, si alii Christiani, & speciatim sui*

I. Congra-
tulatio.
In genere.
Δ.

Auditores, se bene habent, si in Christianismo proficiunt, in fide ac charitate accrescunt, &c.

Ita Paulus, hoc & aliis locis, Rom. 1:8-13. 1. Cor. 1:4. Eph. 1:15. 16. Phil. 1:3. Col. 1:3. 1. Theff. 1:2. &c. Neque id absque ratione: Nam

1. Hominibus in bono proficientibus promoveretur gloria Dei, quo quid nobis majus asferre gaudium deberet?

2. Hoc medio alii quoque lucreunt, infirmi corroborantur, infideles ad fidem alliciuntur, &c. Vide p. 114. b.

3. Auditores ita proficientes Pastoribus sunt ornamento ac honori; sicut Pædagogo honori est progressus discipulorum in studiis.

4. Fides & charitas sunt fructus & certissima argumenta Electionis; quin ergo gaudeant iis visis? &c. Vide p. 115. a. Itaque

I. Pastores nihil eorum omitant, quæ ad Auditorum in fide ac charitate profectum facere possunt, quantumvis magno ipsis labore constet, &c. ut & ipsi habeant cur de Auditoribus suis gaudeant, &c.

II. Auditores vicissim dent operam, ut Pastores suos gaudio isto afficiant, ferendo hoc fructus, fidem ac charitatem, & ex utraque exurgentem obedientiam, &c. Nihil fidis Pastoribus oprabilius, jucundius nihil, quàm si suorum profectum Auditorum vident; sicut Agricola, aut horulano, aut Pastori gregis, &c.

III. Sed è contrario heu quantum animo capiunt dolorem, cum videre coguntur, omnem suum laborem esse irritum, cærum esse sterilem, semen ejectum interiisse! Quàm dolenter fert Ludimagister, si discipuli post tot labores in ipsos impensos æquè ignari ac morosi sunt, ac initio? Sic Parentes: Agricola, &c.

IV. Hic porro condemnantur homines invidi, qui tantum abest, ut de aliorum profectibus lætentur, ut potius indoleant, &c. Diabolicum vitium! Hi sunt Cainitæ, de quibus 1. Joh. 3:12. &c. Nos vitium hocce fugiamus ceu malam pestem, &c. Vide p. 115. b. 116, 117, 118, 119.

In specie expendendæ veniunt *Circumstantiæ* hujus Apostolicæ *Congratulationis, sive Gratiarum actionis, ut & Supplicationis*:

1. *Cui gratias agat?*

2. *Quando?*

3. *De quare?*

4. *Quo fine?*

Cui agit gratias? Deo, & Deo quidem suo: *Gratias ago Deo meo.* En! Deum audet suum facere, &c. Hinc

Δ. *Verè fideles eximio hoc gaudent privilegio, quòd possunt Deum sibi vindicare ac suum facere.*

Ita Jacob, Gen. 28:21. Job. 19:25. David Psal. 104:1, 2. Jesajas, cap. 57. ult. Maria, Luc. 1:47. Thomas, Joh. 20:28. Atque hoc ita sit oportet.

I. Quia

SERMO
XLVII.

Urus I.

II.
SERMO
XLVIII.

III.

IV.

In Specie,
SERMO
XLIX.

I. Cui.

Δ.

Tò δὲ ἰδίῳ.